

996.

23.



2. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA  
DE

# SYNCOPE ET LIPOTHYMIA,

*ex Epitome Praxeos Clinicæ*

## GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HEREDITARII in Schwarzburg/  
MEDICINAE DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,  
SERENISS. SAXONIÆ DUCVM CONSILIARII ET ARCHIATRI,  
THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,

EODEM PRAESIDE,

*PVBLICÆ PHILIATRORVM DISQVIVISIONI SVBMISSA*

IOHANNES SAMVELE HEINSIO,  
Longofalissano Thuringo,  
IN AVDITORIO MEDICO,

HORIS CONSVETIS,

A D. APRIL. Anno M DCC XV.

---

I E N Æ,  
LITERIS KREBSIANIS.

Pathol. spec.

30, 60

*mbispec 2735  
Syncope*



VIRIS

PRÆNOBILISSIMIS, AM-  
PLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,  
NEC NON PRVDENTISSIMIS

D N N.

CONSVLIBVS  
SYNDICO  
CAMERARIIS

TOTIQUE ORDINI SENATORIO  
SPECTATISSIMO, PATRIÆ SVÆ  
PATRIBVS

PATRONIS ET FAVORIBVS ÆTERNVM  
COLENDIS

ACADEMICAM HANC DISSERTATIONEM SVBMISSA  
ANIMI DEVOTIONE

offert ac consecrat

IOHANNES SAMVEL HEINSIVS,  
Med. Stud.





I. N. I.

## PRÆFAMEN.



Um hodie solennis sit inquisitio & disceptatio de perpetuo mobili, operæ pretium videtur saltem obiter delibare, motum seu in macrocosmo, seu microcosmo consideratum esse duplicem, inprimis *αὐτόματον*, (1.) mechanicum, elementarem, organicum, (2.) vitalem.

Uterque occurrit nominatim, & speciali exemplo, seu principali potius, cordis humani, & hinc omnium animalium, & viventium, ita ut prior substat alteri.

Hic ipse est genuinum primum & perpetuum mobile, quo nullum in vniuerso orbe datur excellentius. Cumque quicquid mouetur, elogio *Philosophi*, moueatur ab alio, hoc ipso inuitamur ad primum omnium motorem, summum Deum.

Satis sit in præsentia, ut inconcussum esse perpetuum mobile vitale, per totam vitam, etiamsi ad Mathusalemi & ultra ætatem, seu perpetuum potius, in statu primæuo beato, perduraret; ita mechanicum alterum aliter esse comparatum, ut videatur, si Sinenses saltem sequamur, vel immortalitas corporis, vel lapis Philosophorum saltem longe facilius & dabilis & demonstrabilis.

A 2

Vt



Vti vero in machina quacunque, v. g. horologio, motor primus & mouenda si bene habeant, procedunt ordine omnia; sin alterutrum deficiat, breui corrui; sic etiam cum corde res habet, impellente, & sanguine impellendo, reliquisque hinc singulis. Quam efficax igitur sit medici auxilium, vel illud solum euicerit, de quo in praesenti, Bono cum Deo, agere animus est.

Considerare enim circa lipothymia vel syncope laborantes addecet, an *virium languor adsit*, vt praesse corpori archeus non sustineat, vndecunque demum, vt dicemus, inductus.

An *subitanus & improuisus virium lapsus vel destructio accidat*, ita vt ex insperato aeger exoluatur, concidat, collabatur, agere & viuere quasi desinat. Fit id tum in lipothymia, tum in affinibus quoque aliis eidem affectibus. An *praeuis notis, successiue* magis id prauideri queat, & sentiri.

An *pallor oris & faciei exsanguis adsit*, vultumque & totam corporis superficiem occupet, recurrentis ad principium suum sanguinis indicio, qui pallor maxime quoad genas, labia, & manus obseruandus est. Perit rosea illa tinctura, cadauerosus vero contra ea aspectus se offert.

An *aures sibilent, oculi obtenebrentur, vel splendores variis illos obambulent, grün und gelb vorn Augen* vocant, an *rotetur quasi caput*, quae vertigo & similia singula motum inordinatum seu turbationem spirituum notant insignem.

An *anxietas adsit*, cum *calore insubido* seu in toto, seu in pectore potissimum, vel circa praecordia, *warm umbs Hertz*; nemo enim non vel edicere potest, vel aliis videndam, offert adstantibus stragem insufficientium ad corpus regendum spirituum.

An *iam deficiat spiritus, suppressaque lingua palato, pulsens.*



*sentur trepidi, corde micante sinus: an in genna subsidens, vel etiam de subito lapsu in terram, si steterit, in sellam, lectumue si sederit, prouoluatur.*

An *extrema*, tum faciei, ut nasus, tum corporis, manuum pedumque digiti *frigeant*, adeoque linquentis animi frigus adsit: an *sine sensu, sine motu, sine respiratione*, quod præcipuum, visatur corpus, mortuo per omnia simile.

An *velut in somnum feratur* suauem, eoque mortis experimentum, ad breue temporis spatium, faciat, an *sine moribus ullis indecentibus prauis*, conuulsivis scilicet, vel subsequis, quo ipso ab epilepsia dignoscitur. His enim discriminari potissimum merentur ab inuicem affectus hi ab aliis cognati, imo non raro pro epilepsia, lipothymia suggeritur; an *citra stertorem, spumam circa os &c.* id fiat.

An *sudore madeat frons, collum, & pectus*, vel vdore saltem, (si non effluit sudor, sed tantum exudet, dicitur *ἰσθρῶσις*) seu ab abeuntibus & resolutis spiritibus, seu poris hiantibus, præ anxietate expressa ex glandulis cutaneis lymphæ, id arcessas. Sudor nimirum cum animi defectione h. l. considerationi subiicitur, non seorsim, quod in scorbuticis, phthisicis, alias etiam non syncopiticis, toto die contingit.

Et quidem sudor in fortiori syncope magis contingit toto quoque corpore, vnde etiam sæpe pessimum est signum, labascentis facultatis.

Quæ species sit *ἐκλύσεως*; an *lipothymia*, (liceat ita loqui, & vocare latius paulo, ob affinitatem & præsumptionem,) sit *epileptica*, moribus conuulsivis prægressis, vel coniunctis, sæpe enim confunduntur: an *apoplectica*, constante faciei vigore, pulsu & respiratione; an *letbargica*,



labente ægro in somnum profundiorē; an imprimis *hysterica*, in sexu sequiori, vterinis comitantibus vel latitantibus quoque symptomatibus; an *præcordialis*, seu stomachica, ita ut minera hæreat in præcordiis & hypochondriis, hæc duo enim, recte notante *Casp. Hoffmanno*, non sunt confundenda; quæ omnia probe sunt notanda, & distinguenda.

Quis æger sit *ratione ætatis*, an *infans*; in his rarior quidem est, obseruauimus tamen aliquando inter alios infantem recens natum, saltem aliquot hebdomades habentem, frequentius animo solutum, & subinde emortuum, ut vellicandus naribus fuerit, idque aliquoties factum. Idem in alio maiori, sex menses nato, vidimus, citra vllum motum vtriusque, quos emetico propinato curauimus felicissime, nunquam inde rediente affectu. Quin infantes quoque in lucem editi debiliores id experiuntur sæpe, aspiratione aeris, ani, & aliis mediis refocillandi.

An *fœmina*, *virgo*, *vidua*, ut imprimis constet, an *syncope hysterica* sit, nec ne, præsertim casibus aliis coniunctis, de quibus post. An *puer*, *vir*, *adolescens*, verbo, an *alias sanus*, quoad sensum, tum suum, tum aliorum, nam & talia exempla aliquot in praxi notauimus, quod *ὁ ἰσχυρὸς* *syncope* fuerunt correpti; an vero *ager*, vtrumque enim plura hinc suggerit, alia enim curatio sani, alia ægri est.

An *grauida*, in principio gestationis imprimis, quod sæpe occurrit, tum a pastu, tum a constrictione corporis, per vestimenta thoracis, & longiori mora in conuiujs, vel alias idem patiatur.

Quo gradu *visenda* sit, an *primo*, qui *ἐκλυσις* dici potest, *exolutio*, *lipothymia* imminens magis quam præsens, imperfecta quam perfecta, leuis quam fortis. An *secundo*,

do,



do, quam *lipothymiam* dicere possumus in specie, perfecta, proprie & stricte magis eadem. An tertio, quæ *syncope* audit, seu *lipothymia* fortior, *eine starcke Ohnmacht*. *Ἐστὶ γὰρ τὸ πύθου*, verbis *Aretai*, λύσις τῶν δεσμῶν ἢ εἰς ζωὴν διατάξις, est enim affectus vinculorum potestatis vitam sustententis dissolutio.

An quarto denique, quæ Græcis dicitur non inepte *ἀσφυξία*, a defunctis plane sæpe vix distinguenda, ut etiam tales pro mortuis habiti & sepulti, imo & hinc quoque reuiuiscetes deprehensi legantur, quod de fœmina Coloniensi notum est, & de peste laborante fœmina in vicinia nouimus.

Ita vero optime distingui species hæ possunt, si *lipothymia* loco generis statuatur latiori sensu, quod etiam cum *ἐκλύσις* habet commune, ut vtrique hoc pacto etiam reliquas sub se comprehendat, vti notum est *ἐκλυσιν* ipsam latius sumptam etiam *synopen* notare 2. *apbor.* 41. quo οἱ ἐκλυόμενοι πολλάκις ἔϊχυντο qui sæpe & vehementer animo *finquuntur*, audiunt, strictiori vero dicto iam modo distinguuntur, quæ acceptio diuersa de singulis quasi valet speciebus.

Neque hinc opus est *lipothymiam*, contra receptum usum, dici ita *καταχρηστικῶς* statuere, & loco huius *lipopsychiam* vocare, & *synopen* de propria cordi, & præcipiti magis omnium virium lapsu accipere, *lipothymiam* vero saltim de infirmitate animali. Satis est, ipsius *Cdi* elogio, solennem esse *λιποθυμίας*, 1. *apborism.* 23. & passim receptissimam vocem, ut alibi etiam *ἀψυχίαν* & aliter nominatam legas.

Qua mora, quæue *vehementia* sit conspicua: an duret longius; an excitabilis sit, vel minus. Quo longius durat, quo

quo



quo frequentius repetit, quo grauius vrget, eo grauior, maior & vehementior putanda est, & contra.

An *continua sit*, an *periodica*. Illa dici meretur, quæ per horas plures, ne dicam dies durat, vel vno die sæpius repetit, nec ægrum perfecte, vel non tam cito deserit; Hæc, quæ per vices & paroxysmos, certis vel incertis periodis, singulis mensibus bis, ter, quater &c. recurrit.

An *acuta*, an *chronica magis*, quod ex circumstantiis laudatis elucet. An *diu duret affectus*, an vero *facile cesset*, & paroxysmus abeat, quo ipso etiam ab epilepsia & ab apoplexia inter alia eundem disternare integrum est. Quandoque tamen ad aliquot horas quosdam syncopen passos obseruationes fidem faciunt; vti refert *Fernelius* de quodam, qui per viginti quatuor horas ita syncope correptus decubuerit.

Qualis *sit pulsus*, an *imminutus*, *debilis*, *tremulus*, *formicans*, an vero *ad sensum abolitus*, qui sine ordine & rhythmo saltim vibrillet & micet leuiter, *wie ein Fädchen*. Hoc solo signo optime ab apoplexia & epilepsia quoque distinguere licet syncopen.

Restat tamen nihilominus aliquando dubium, in grauiori casu, si quis desubito mortuus fuerit, an *synopticus*, an *apoplecticus* conciderit, per anatomen decidenda controuersia; prout in cerebro, vel corde reperta fuerit obstructio, culpa, vel extrauasatio, præter alias circumstantias, apoplexiæ, vel syncope proprias, neque enim id citra anatomen certo demonstrari in dubio potest.

An *lipothymia sit per consensum* alterius cuiuscunque partis, quorsum & *hysterica* seorsim spectat; an *syncope cardiaca*, κατ' ἐξοχλὴ dicta, a particulari cordis, tanquam principalis partis mechanica læsa. Seu pericardii, seu va-  
forum



forum cordis, seu ventriculorum particulari culpa & fede propria.

Pertinent huc observationes quamplures rariores, quas huc colligere vel inferere non attinet; in aliis a veribus, in aliis a calculis, (quales in corde Celsissimæ fœminæ repertos vidimus, & exemplum obtinemus) in aliis a polypo, quem vocant, qualem internum in corde illustrissimi Comitum & externum vidimus, subter idem spinæ dorsi regioni innexum, & inibi radicatum seorsim, desubito tandem mortui.

Quæ prægressæ sint circumstantiæ aliæ, quæ assumptæ, an venena, vel quasi talia, qualia ab assumptis fungis, colicis de leuante, radice hyoscyami aliisque exempla prostant; an aer calidissimus, exoluens, quale quid in balneis sæpe accidit Laconicis; an venus immodica, an affectus animi grauior, ira, maxime in hystericis, terror, timor, nuncium triste, v. g. mors coniugis, nimia verecundia, quale exemplum refert de virgine *Mandelsloh* in itinerrario.

An hæmorrhagia vel excretio alia immodica & nimia, cuiuscunque generis, dysenteria, hypercatharsis. Id maxime fit ab emeticis, & male præparatis antimonialibus, mercurialibus, sudoriferis nimis; in quo sæpe valde peccant medici, qui, non attendentes naturæ ductum, violenter sudores extorquent, & calidis tegumentis nimis ægros macerant, & velut suffocant, vnde aliquot mortuos nouimus. An plaga, verbera, vulnera, vti exempla prostant, quosdam inter occisos prælio diutius decubuisse, pro mortuis habitos & reuiuiscences, ad se rediisse; vti refertur etiam de quodam, qui ter quasi mortuus hoc pacto fuerit.

An partus prægressus, quo exantlato labore, in tene-

B

riori.



rioribus præsertim, etiam non fluentibus nimis lochiis, sæpe lipothymia ac syncope urgent, & nonnunquam dictum factum exolutæ moriuntur. An *tertiana paroxysmus*, quod obseruauimus aliquoties, an *dolor grauior*, an *adspectus rerum tristium*, vel insolitarum, vel durius & pro malis conceptorum, uti sæpe vidimus V. S. etiam adstantes, nedum ipsos V. S. passos concidisse extemplo, etiam alias robustos visos.

An *febris* adsit, an *status extra febrim*; quod insigne est discrimen, diuersæ causæ, diuersa curatio, diuersa medicamenta. Nam & febribus non vna de causa symptoma hoc vitale est non infrequens. Vbi ad morbum quidem principalem respiciendum maxime, non negligendum vero est symptoma hoc vrgens.

An *dolor hypochondrii alterutrius*, an *morbis chronicus* vel *alius grauior*, qui vires exhauferit, præcesserit, an *nausea instet* vel *vomitus*, nam & hic sæpe, præsertim in foemina, lipothymiam vel ἐκλυσι affert. An vomitus cruentus, quod vidimus & notauimus seorsim alibi, aliquando cum restitutione in integrum; aliquando in aliis cum præsentanea morte, ab aneurysmate vel varice in thorace rupto, ἀφρώως ἢ βιαίως sanguine largissime effuso.

An *eger vel agra* alias affectu sæpius corripatur, quis *typus* reditionis, an *citra causam manifestam*, an sit *tenerioris texture*. An *surgenti*, & *caput eleuanti*, vel *stanti*, quod sæpe accidit, non sufficientibus ad illum positum spiritibus, qui graue corpus mouere & attollere possint; an *velo in navi*, vel *curru*, an ob *ἰδιοσυγκροσίαν* aliquam, uti ad conspectum vel præsentiam felis, casei, cancrorum, saltem tectorum operculo, aliisque inuisis quidam soluntur in lipothymiam; an *mensibus obstructis* accidat, vel *nimis fluentibus*.

Nota



Nota de purgantibus ipsis, si illis, qui proni sunt ad lipothymiam, propinentur, experiri eandem sæpius, quod in fœmina & puella, non referente de consuetudine paroxysmorum syncopatorum, obseruauimus.

An *affectus hypochondriacus, vel scorbutus*, roboris viscerum decoctor, etiam citra iam dicta, latitet. Repetendus hinc alio titulo iam laudatus 2. *apb. 41.* quoad reliqua verba: *ἀνευ φανεῆς αἰτίας*, sine causa manifesta. Verissimus est in syncope acuta & cardiaca constanti, continuata, illi *ἐξαίτιος* derepente vt plurimum moriuntur. Secus fit in periodica, & per paroxysmos repetente.

Licet enim reuera omnis syncope grauior sit periculosa, per consensum tamen quæ fit, sæpius est chronica, quod minus aliis occasionalibus præsentibus arguere licet & suspicari. Ex hypochondriis enim inprimis male constitutis non raro fit syncope, exemplo scorbuticorum, præsentibus grauioribus pancreatis, vel mesenterii obstructionibus, vnde in circulo suo turbatur sanguis, & ad cor regurgitare cogitur, sero deturpato & coagulabilibus acidis, austeris, tartareis atomis imprægnato.

Præsupposito ergo, in lipothymia & syncope impellentes & mouentes spiritus cessare, & sanguinem circa cordis thalamos robore suo non instructum esse quoad vires, quoad particulas spirituosas, seu deficiat, seu copiosius rarefiat & restagnet, vtrobique grumescentiam patiens grauiorem, a positua vel priuatiua causa oriundam.

Hinc I. *spiritus labascentes, stationes suas derelinquentes quouis modo excitandi sunt.* Vtut vero vitales principaliter affecti sint, & deficient, vnde animalium defectus presso pede consequitur; nihilominus tamen per animales interpretes illi, adeoque vtrique coniunctim excitantur, vt pristina microcosmum irradiant luce.



Excitantur spiritus internis spirituosus & aromaticis, interius propinatis, vel in os ingestis, ex vino generoso, Rhenano v. g. spiritu vini, aquis destillatis spirituosis, aqua cinam. c. v. borag. bugloss. meliss. c. v. Imo cum hæc sæpe non ad manus sint, commodum est, uti obuiis aromatibus, caryophyllis, cubebis, costo, cinamomo. Prodest theriaca, confectio alkerm. essentia ambrae, spiritus rosarum, elixir vitæ Matthiol. aqua virtutum, balsamum vitæ, oleum cinamomi, liquor cephalicus. Et hæc quidem magis locum habent in spirituum defectu priuatiuo, & extra febrim; maxime tamen in iisdem ad circumstantias respiciendum.

Excitantur externis, odoratis, & fragrantibus suauibus, hæc enim contactu immediato spiritus & vires reficiunt, vnde Hippocratis illud huc spectat, *l. de alim. c. 11. t. 1.5. 6: Τετφη γὰρ καὶ πνεῦμα, alimentum enim etiam spiritus est*, & quicunque veloci appositione opus habent, his humidum ad vires refocillandas remedium optimum; quicunque adhuc velociore indigent, per olfactum, vel faciem, odoramenta applicata ori, temporibus, naribus, carpis, plantis pedum, scrobiculo cordis, cordi ipsi, & aliquando etiam vtero in foeminis, ut balsamo apoplectico ipso.

Virgo syncoptica ad vinum gustandum coacta, quod abhorrebat a natura, cum nullo alio medio excitari posset, in momento restituebatur pefso, ex oleo cornu cerui, cum essentia castorei, asæ foetidæ, & spiritu volatili urinoso applicato, post, quam aliquot horas sic decubuisset.

Plura vero, seu non vnus generis constitui possunt odoramenta hæc, nempe *spirituosa, balsamica, urinosa, vel acida*, singula magnarum virtutum. Huius generis sunt

sunt



sunt *aqua apoplectica*, *aqua carfunculi aurea*, *aqua Anhaltina*, vinum ipsum aspersum, *balsama apoplectica*, *litis cordiales ex spiritu formicarum*, *apoplectico*, cum confectione alkermes, *oleo caryophyllorum*, *cinnamomi*, *citri*, inprimis vero *spiritus salis ammoniaci vrinofissimus*, *spiritus florum anthos cohobatus*, sub nomine aquæ Reginae Hungariæ notus, & præcipue hæc ipsa mixta; vt *aqua apoplectica*, *spiritus salis ammoniaci*, *oleum lauendulæ verum*, cum vel sine *essentia castorii*; item *balsama cordialia varia*, *succini*, *apoplecticum*, *polycbrestum*.

Spectat huc odoratus panis ipsius, tum recentis & calidi, cuius ope Democritus quoque per triduum vitam distulisse fertur. Si solus id potest, longe magis si vino generoso imbutus, si tostus fricetur cum nuce moschata, & naribus, imo scrobiculo cordis, & plantis pedum applicatus fuerit.

Inter euporista huc faciunt, præter masticata, etiam herbæ odoratu proficuæ, *pulegium*, *melissa*, *abrotanum*, longe optimum, *rosmarinus*, aliæque, imo & ipsa *errhina*, & inter hæc *errhinum Malabaricum simplex*, *ambratum*, *castorinum* &c.

Inter *acida* principatum tenet acetum. Certum est nil magis restituere syncopticos, & fugientes remorari spiritus, quam acetum vini, simplex vel compositum, *rutaceum*, *bezoardicum* &c. Hoc quippe penetrantissimum est, hoc poros reserat, hoc archeum blande vellicat odoratum, vnde irritatus ad sese facile redit, hoc resoluit grumescentem sanguinem, hoc figit rarefactionem nimiam, & resolutionem spirituum. Hinc sæpe ipsis aquis apoplecticis palmam præripit, præcipue vbi vna febris, vbi calor, vbi salia volatilia abundant, vt in scorbuticis, vbi



sudor, vbi scorbutus calidus adest. Hinc acetum cum spirituosiss nonnunquam ipsis commode commiscetur, in epithematibus ad pulsus, frontem, tempora, cor ipsum in litibus & sacculis &c.

Excitantur & odoramentis foetidis. Spirituosa enim illa nedom suaueolentia in foeminis non æque profunt, sed magis acida & castorina, vel sola, vel simul inuicem & cum spirituosiss quoque mixta; vnde conuenit aqua vitæ mulierum, *aqua apoplectica cum castorio, spiritus & essentia castorii, aqua liliorum conuallium composita cum castorio, aqua birundinum cum castorio*, interne & externe, *castorium* ipsum in substantia, *asa foetida* eiusque *essentia*. Idem fit plumis perdicum accensis, spiritu *salis ammoniaci*, aliisque alibi iam recensitis.

Excitantur *frictionibus*, v. g. labiorum, quæ sale, aqua salsa, theriaca, aceto, ruta & similibus, fricari possunt; item volæ manuum & pedum, quod tamen non locum habet, vbi ab hæmorrhagia nimia, vel hypercatharsi syncope oborta est. Reuellunt fortiter & excitant frictiones, possuntque hinc partes inungi spiritu apoplectico: maxime vero titillationes pedum, quæ multum valent.

Præstat illud optime excutia tum alias, tum in hysteriis inprimis, reliquis etiam non iuuantibus proficua visa. Tacemus vellicationes narium, & quæcunque alia motum citatum inferentia, mediante sensu, ne acclamations, insuffurrations in aures, & alia similia laudemus.

Frustra hinc *Trallianus Galenum* carpit, quod frictiones commendauerit syncopis. Virgo generosa, alias sana, sodalem aliam inuisens, ex improviso syncope correpta nullatenus excitari valet. Aduocatus medicus frustra applicat illo casu consueta. His insufficientibus extrahi iubet

iubet



iubet tibialia, & nudatis plantis pedum applicare excutiam, frictionemque hacce instituere. Dictum factum ad se rediens & sibi & adstantibus risum mouebat, medico probe compensato.

Excitantur *aeris* liberioris occurſu, quod partim in balneis videas, a calore aeris maiori, vnde lipothymia corripuntur, a pressione eiusdem maiori & improportionata, partim in aliis, concluso & concentrato eodem, vel fenestra aperta, vel ex conclauis progresso ægro, si nihil prohibeat. Cum virgo quædam XII. vel XIII. annorum subinde lipothymia corripereſſet, non poterat curari, niſi vbi ſuaſu noſtro in aerem liberum mitteretur, vnde ſtatim optime habebat.

Excitantur aſperſione aquæ frigidæ, quod ipſum & ad partes reuocat archeum, & ſpiritus reſolutos atque abituros quaſi impedit & retinet, ſeu *aqua ſimplici* id fiat, ſeu *roſarum*. Valet hoc in actu præſeruationis, inſtante lipothymia: valet & in actu curationis, magis tamen in ſanis aliis, vti v. g. poſt venam ſectam, poſt vulnera, cautius vero vel plane non, vbi repellentia minus locum habent, v. g. in variolis, febribus petechialibus, peſte &c.

Hinc aqua ori perfuſa, veſtibusque laxatis, liberior ſpiritus ſudorem compeſcit, aufugientium & ſtationes ſuas deferentium ſpirituum interpretem. Hinc ſudor extergendus, frons fricanda, pectus detegendum, deficienti ſpiritu ventorum ſpiritus præbendi, vt loquitur *Barclaius*.

Excitantur deſenſo ſomno, & diuertentibus aliis, vnde maxime cauendum in his ab adſtantibus, ne ſpecie ſomni mors obrepat; quod ipſum etiam de venæſectione conſequentem intelligendum eſt, vbi poſt venam ſectam, vel hac ipſa ſolum ratione & prouida cautela, ſomnus prohibetur.

Hinc



Hinc II. *Spirituum resolutio impedienda.* Vtut enim hæc statua sub priori facile locari possit, seorsim tamen id attendendum est; vt rectius & distinctim indicationibus satisfiat, in effectu enim sunt contraria.

Impeditur *quiete & decubitu*, hinc in terram v. g. a venæsectione, obrepente ἐκλύσις, seu lipothymia, animo deficientes toto die locant; hinc quiescendum, nec temere surgendum, vnde & febricitantibus & aliis facile in lipothymiam labentibus, decumbentibus vena secanda. Id quod vtrumque eleganti loco exprimit *Galenus l. 1. apbor. comm. 23.* Febricitantibus, inquit, nonnullis vsu venit inter exurgendum & desidendum sæpius animi defectus. Propterea ipsis resupinis iacentibus venam aperire solemus. Idem vero & præseruationis loco commodum est. Maiori enim robore spirituum egent corporis remiges ad portandum idem ὀρθοστάδιον, minori respectiue decumbens.

Impeditur *acidis* iam laudatis, frigore externo, vbi id licet, vel laxatione saltem caloris, ne fatiscant vires, quæcunque scilicet sudores impediunt extrinsecus, illa quoque impediunt resolutionem spirituum. Vnde sudor abigendus, & frustra sunt, imo ridendi, qui syncoticum, vel symptomaticum sudorem potius promouere iubent, quale exemplum sinistri euentus, non facta dignotione sudoris syncotici, habet *Galenus l. 1. progn. in præem.* vbi in balneum deductus sudans breui mortuus.

Impeditur *roborantibus, stypticis, opiatis*, non solum vbi dolores, hæmorrhagiæ, ad animi deliquium vrgentes sæpenumero, vbi luculam vitalem dissipant & perdunt, vbi vomitus, fluxusque alii negotium facessunt; verum etiam extra hosce casus. Strategema laudatissimum est in praxi, *Kypero* primitus vsitatum & adscribendum. Conuenientissime



tissime scilicet in hac vitalium spirituum resolutione seu λύσις τῆς ψυχῆς, dissolutione vite, saltim imminente, instante, metuenda, in fieri datur laudanum opiatum, sed refracta dosi, vt vltior dissolutio impediatur & eorum oppressio præcaueatur.

Vti enim dissolutæ copię in prædam cedunt hostibus, & contra ea vis vnita fortior est dispersa: ita idem hoc loco omnino fit, obseruatur, & laudari potest, vnde & cum prioribus excitantibus & confortantibus possunt remisceri, spirituosis, cum *confectione alkermes*, addito olei destillati momento, & terreis præcipitantibus vsitatis, de quo mox.

Impeditur *analeptis*, tum medicamentis, tum alimentis, vt noua succendicula addantur prioribus paucis, additis aromatizatis & vino, croco & aliis, extra febrim, *pulvere analeptico N. O. Minder.* vel alius, *confectio alkermes c. a. s. a.* iusculis ex *chocolada*, gelatina C. C. &c. ouis item tremulis aliisque *εὐπνευστικῆς*, *tinctura coralliorum* tum alia, tum cum *spiritu cordis cerui*.

Impeditur porro *præcipitantibus*, *bezoardicis*, *temperatis*, aqueis, terreis & acidis interius, sicubi æstus sit & rarefactio maior, ex *tinctura rosarum*, *violarum*, *fl. quatuor cordialium*, *perlis præparatis*, *magisterio perlarum*, *coralliorum*, *aqua cordis cerui compos.* *cordiali Herc. Sax. fr.* *scorzoneræ*, *emulsionibus refrigerantibus* & *analeptis*, *speciebus de hyacintho*, *diamargarit. fr.* *cordialibus temperatis*, *sirupo coralliorum*, *gemmao* &c.

Impeditur *epithematibus* quoque, *sacculis*, *fomentis* ex *speciebus pro epithematibus cord.* *cordial. temperatis*, *camphora*, *myrrha* &c. seu coniunctim solida & liquida præscribantur



bantur, vt *aqua carfunkuli aurea, apoplectica, Anbaltina*, additis acidis, *aceto rosaceo, rutaceo*; seu seorsim, illa his humectanda & imbibenda. Faciunt huc & taleoli citri a vulgo magni æstimati, neque id de nihilo est.

Verbo, ita excitandi sunt spiritus, vt rarefactione inducta maiori resolutionem debitam non impediamus, sed promoueamus & augeamus; ita impedienda resolutio, ne spiritus robore suo exuamus, vnde etiam in temperatis illis modica penetrantia interne & externe, ex croco, aceto, camphora addenda.

III. *Motus sanguinis ad extra restituendus est*, & quæcunque circulum eius interturbare queunt, remouenda, seu sanguinis inprimis grumescencia omni modo tollenda.

Restituitur & promouetur commode per *sudorifera*, & *bezoardica*, in febribus malignis, in variolis, in casu ab alto, in syncope a suffocatione & oppressione spirituum, quacunque, & non ab euacuatione oriunda, vnde *spiritus Cornu Cerui, spiritus bezoardicus, tinctura & oleum bezoardicum*, simplex, oleosum, castorinum, volatile, *mixtura simplex*, sine & cum camphora, vel destillata quoque ipsa dulcis, *elect. diascordii, tberiaca, antimonium diapboreticum, bezoardicum martiale, aqua cardui benedicti* &c. quæ singula & grumescenciam sanguinis tollunt efficaciter, & transpirationem iuuando cor ab oppressione omni liberant.

Restituitur *Venasectione*, in anxietatibus consimilibus, in pleuritide, variolis ipsis, in principio cessantibus, vnde vena secta prouide facta eruptio promouetur, parte dempta onerosa reliqua magis obsequa reddita, item dolore circa thoracem, siquidem id a suffocatione nimia ebullien-

lien-



lientis sanguinis oriatur. Vtut enim non temere vena secanda sit in syncopticis; certum tamen est, si a copia sanguinis, si ab euacuatione suppressa, vel nimia quoque prouenerit, vnice hanc prodesse, saltim extra paroxysmum, & indicatione præseruatiua, id quod in vomitu cruento præsentissimo cum successu alibi docuimus. Inter alia indicium quoque huius est, si a copia sanguinis, saltim respectiua, optime fluit tunc vt plurimum sanguis; sin minus, fluere renuit magis.

Fluxilior sic redditur sanguis, & parte educta, reliquus in ordinem magis redigitur, vt pacate in riuulis suis & imperturbatus decurrat.

Adde, quod satius est v. g. in dicto casu, vt & in mensibus immodicis, vnciam vnam v. g. sanguinis cum *εὐφορία* emittere, reuulsionis gratia, quam libram, imo largiorem quantitatem, perdere.

Restituitur resoluentibus & absorbentibus, quo casu omnium instar & probatissimus est *puluis absorbens noster*, in quocunque fere genere laudatissimus. Hoc ipso tum alios plurimos syncopticos hypochondriacos, scorbuticos, hystericas, stomachicos restituimus; tum hoc ipso, vna cum mistura antiscorbutica solis, ægrum alibi propositum, ab omnibus pro desperato, imo & pro incantato habitum.

Tollit nimirum omne coagulum, omnem grumescentiam, omnem acorem, ponticum, austerum, omnibus satisfacit indicationibus. Inde etiam obseruauimus sæpius, dato hoc, si materia restiterit in ventriculo, per vomitum fuisse exturbatam. Hic ipsos abscessus, si qui adsunt, respicit, resoluit, educit, dissipat, syncopen vero ab abscessu



venæ arteriosæ vidit *Hollerus l. 1. de morb. intern. c. 30. in Schol.* Sin alia quis expetat, huic consimilia esse debent.

Restituitur omnibus iis, quæ mineram in præcordiis, vel alias grumescentiam sanguinis inferre apta sunt, exterminant, annihilant, & quocunque modo tollunt, v. g. *emetiis* ipsis, quod, vt diximus, in infantibus geminis, & pluribus aliis non semel experti sumus. Id ipsum in syncope stomachica & hysterica quoque optimum est non raro, si nimirum colluies acida, biliosa, vitiosa circa ventriculi confinia adsit. Imo sponte naturæ vt sæpius lipothymia vomitum futurum arguit, ita facile sequitur, & liberatur hoc ipso.

Restituitur & *purgantibus*, sicubi hypochondria vel dicta iam peccent, adeoque indicentur, extra paroxysmum quidem, in vermibus quoque, vbi alias anthelmintica, & inprimis allium, commendantur, experimento *Zacuti Lusitani*. Pertinent huc etiam clysteres ipsi, in debilioribus, & quæcunque impedimenta mouendi sanguinis mediata alia auerruncare possunt, ex suis fontibus.

Restituitur inprimis antiscorbuticis, non neglecta etiam hic distinctione inter scorbutum calidum & frigidum, martialibus aperientibus, seri acetosam qualitatem abunde corrigentibus, ex *spiritu vitrioli martis, coclearia, tartari, tinctura martis temperata, balsamica, elixir proprietatis, cum spiritu salis ammoniaci*, in foeminis, vterinis. Scorsim vero castorina longe optima sunt in vtroque sexu, vt-pote neruina, & sale volatili foeta, non vno fine vtero velificantia.

Restituitur denique motus sanguinis linimentis aliis ad cor, vti iam diximus; quidam theriacam commode illinunt, addendis oleis destillatis, macis &c. Et diæta com-

com-



commoda, aëre non adeo calido, cibis incidentibus, vti quidam sinapi se præseruabat ad syncopen epilepticam dispositus, moderatum quoque gaudium prodest.

Cumque tertius hic canon sit inter vtrumque medius, & in singulis, confortandi & motus sanguinis respectus communis, possunt huc referri quoque reliqua, quæ in ceteris possunt desiderari. Pertinent huc potiunculæ Sylvianæ, vt cum aquis cordialibus mixta alia, pulueres, spiritus, essentiæ, sirupi combinata parum & frequenter propinentur. Ita enim subinde suppeditatis præbiis diuisis archeus facilius in actum deducere potest vires melius.

Sic & ligaturæ & stricturæ modo locum habent, modo minus, & laxitas potius liberior concedenda. Illæ in doloribus, hæmorrhagiis, & aliis indicationibus; hæc in anxietatibus, & pressione aeris liberanda: quod vtrumque hinc diuerso respectu locum habet, pro medici arbitrio æquo.

Ita modo excitari possunt & stimulo egent spiritus, sanguis, & humores reliqui, modo freno, aurigante vtrobius naturæ ministrante medico.

SOLI DEO GLORIA.

---

**R**Egia si petitur diris hostilibus armis,  
Si non succursum est,  
imminet exitium.

C 3

Cor



Cor animæ sedes & regia corporis  
extat,

Quæ vitam & regimen sanctius  
insinuat.

Inde, licet centrum non sit, ceu  
fonte perenni

Phosphorus & constans vnda ge-  
mella fluit.

Perpetui motus exemplum, & ma-  
china viua,

Testis diuini numinis indubi-  
us.

Linguitur, & cessat regere æquis  
corpus habenis,

Cuncta silent, vitæ vix datur in-  
dicium.

Artifici reparas studio, quo machi-  
na peccat,

Et motum reparas, quo superesse  
queat,

HEIN-



HEINSI, sic patriæ virtutis nobilis  
hæres,

Hac si non maior non minor ipse  
fies.

*Nobil. Dn. Respondenti de felicibus  
studiorum progressibus ex animo  
gratulatur, honoresque inde cer-  
tos ominatur*

PRÆSES.

---



Motum restituis cordis, vitam-  
que tueris  
Arte, Tibi quæ mox præ-  
mia digna dabit.

*Nobilissimo Dn. Respondenti affectus  
& gratulationis causa scripsit*

Io. ADOLPHVS WEDELIVS,  
D. & P. P.





N medica quantum profecerit  
Heinsius arte  
Ut probet, Ingenii vult da-  
re signa sui:

Id probat, Hippocratis sequitur dum  
dogmata Nostri,

Dum cathedram scandit Præfide

VVEDELIO.

Laudo Tuum Ingenium, laudo  
conamen, Amice;

Hæc, precor, excipiat digna Ti-  
ara breui.

Hæcæ pauca

*Clarissimo atque Doctissimo Dn. Respon-  
denti, Fautori & Amico suo estuma-  
tissimo, in benevolentia perpetua  
tesseram apponere voluit, debuit*

M. CHRISTOPHORVS LE CERF,  
Med. Dd. Mœno Francof.